

- obiicienda. At cur Ocello, Theagi, Meropo, Archytæ, Hippocrati aliquid gratiarum agendum non fuit? Cur fassus non est philosophico animo, veritatis amore ea, quae ab illis mutuabatur. Sed nolim, dum veterum aliis gratias habendas praedico,
5 alios excuso, in Aristotelem videri invehi, ne, quod in eo non magnopere laudo, in me alii accusent. Nisi ea opinione ducerer: Aristotelicos libros fere omnes tumultuario quodam opere ab eo conscriptos, nec satis a se ante obitum revisos aut castigatos, castigandosque relictos Theophrasto, acri veherer in eum odio.
10 Sed quia ita credam, inconstantiam tot illarum redargutionum excuso. Satis enim mihi persuadeo virum ingenii acutissimi iudicique acris si suos libros revisisset: et reprehensiones tot et tantas modestiores fecisset et inconstantiam earum emendas-set.
15 Si antiquorum ab eo reprehensorum scripta vel omnia vel plura saltem quam habemus, extarent, apertissima forte res haec esset. Sed ex iis pauculis fragmentis, quae illorum et nostra non minus fortuna iniqua nobis reliqua fecit, atque ex iis, quae posteriorum scriptorum ex relatu habemus ac ex ipsiusmet Aristotelis
20 testimoniis aliquot ostendemus, quibus in rebus veteres inique atque extra rem ab eo sunt vexati. Sed id planissimum faciemus in Platoni obiectis. Eius enim scripta fere omnia extant. In quibus pertractandis manifesto constabit quatenus a veteribus ac praeceptore Platone, voluerit maximus vir hic discors esse. Sed ut
25 haec commodius fieri queant, repetenda nobis est breviter origo scientiarum.
- Constat apud Philonem ac Iosephum et apud alios non paucos Graecos nobiles authores post diluvium inter Chaldaeos a Zoroastre (sive is Cham fuerit, sive^x Chami filius vel nepos) sapientiam vel primo cultam vel renovatam. A Chaldaeis Abrahamus,
30 qui ex Zoroastri cognatione fuisse videtur, (ut primo Thesauri nostri libro latius ostendimus) in Aegyptum esse translatam. Ex Aegypto postea a quatuor præcipue viris transfretatam: Orpheo Lebethrio, Thalete Milesio, Pythagora Samio, Democrito Abderi-

^xCorr. ex sine